



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. VII. De initijs monasteriorum Franciscanorum in Belgio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus fit, dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrarijs quibuscunq;. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub anulo Piscatoris die *xxix*. Octobris, *MD*. *xviii*. Pontificatus nostri an. decimoquarto. *Et infra erat signatum*, S. Card. S. Sufannæ.

*De BB. Martyribus Gorcomiensibus.*

**S**cripsit de ijs libellum sanè eruditum atque elegantem *Guilielmus Estius*, Doctor & Cancellarius Academiae Duacensis. Horum ossa ex Hollandia Bruxellam primum allata, ibidem multo cum honore adseruantur in templo Franciscanorum pro magna parte. Reliquæ partes in varijs monasterijs, vt Montensi, Cameracensi, Atheni, Niuelleni, & alijs decenter sunt collocatæ.

CAPVT VII.

*De vitijs monasteriorum Franciscanorum in Belgio.*

Anno

**A**Nno circiter Christi 1215. qui fuit octauus ante obitum B. Francisci, cœperunt Franciscani instituti fratres in Artesia & Hannonia, nominatim Atrebatu & Valentianis, magno cum fructu populi conuersari. Fuerunt autem primùm sex missi in hunc Belgicæ tractum, idque à B. *Pacifico*, primo Franciæ Ministro. Erant inter illos sacerdotes duo, & laici quattuor, ex quibus frater *Guilielmus* ceteris præerat, vir prudens, qui postmodum primus custos fuit custodiæ S. Quintini, obiitque in opido S. Quintini anno 1237. vbi hodieque sepulcrum eius visitur, iuxta tumulum Caroli, cognomento Pij, Regis Galliæ in collegiata S. Fursei Ecclesia.

Porrò Franciscani, iuxta muros Atrebatenses, primùm habitauerunt in loco, qui dicebatur Mons *Capelle*, post anno circiter 1219. monasterium ipsis exstructum est, haud longè à loco iam nominato, dicatumque ac consecratum est templum in honorem S. Bartholomæi: ad quod quidem monasterium fratres sese an. 1222. transtulerunt.

Quod attinet ad Valentianense monasterium, Franciscani primùm habitauerunt extra muros vrbs Valentianæ, in Basilica S. Bartholomæi, & loco, qui vocatur *Drougon*, què quidem locum ipsis donauit *Ferdinandus* Flâdriæ & Hannoniæ Comes, diplomate Parisijs anno 1225. Martio mense dato. Paulò

post *Ioanna* Ferdinandi coniux quosdam Romanam misit ad Honorium Papam, & *B. Franciscum* adhuc superstitem: quorum quidem consensu impetrato, ex *S. Bartholomæi* Basilica fratres in urbem traduxit, ibiq; monasterium ipsis ædificauit, & templum an. 1233. dedicandum curauit.

Fuerunt itaque in primis initijs duo Franciscanorum conuentus apud Valentianas. Næ usque ad annum Christi 1241. vel secundum alios, 1251. fratres equidem in dicto loco *Drougon* sedem ac domicilium retinuerunt.

*Dauentriense* Franciscanorum monasteriū fundauit Eleonora Eduardi Angliæ Regis filia, & Reinaldi I. Geldriæ Ducis vxor. Præfuit Reinaldus annis 17. & obiit 1343. vt *Aquilius* & *Tegnagelius* tradunt.

Eadem & Eleonora fundauit Franciscanorum monasterium *Hardereuici*, vt idem *Aquilius* refert.

De *Bruxellensi*, *Antuerpiensi*, *Louaniensi*, *Siluiducensi*, *Gandensi*, *Brugensi*, *Iprensi*, *Duacensi*, & alijs quàm plurimis Franciscanorum per Belgicam cœnobijs, eorumque originibus vide *Historiam Seraphicam* *Francisci Gonzagæ*.

## CAPVT VIII.

*De Capucinatorum origine.*

Circa annum Christi 1525. Capucinatorum in-